


Dissertatio Logica ...


## 2 : Dissertatio Logica Secunda, De Praedicamentis & Postpraedicamentis

Berolini: Schlechtiger, 1718

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn81535844X>


Band (Druck) Freier  Zugang





Ec-1054.





DISSERTATIO LOGICA  
SECUNDA,  
DE  
**PRÆDICA-**  
**MENTIS & POST-**  
**PRÆDICAMENTIS,**  
QUAM  
PRÆSIDE  
**M.FR.GRUNACKERO,**

DEFENDERE SIBI PROPOSUIT

D. 22. Jan. 1718.

RESPONDENS

**JOH. GEORG. BRANDES,**  
HANNOV.

IN MUSÆO DN. PRÆSIDIS,

---

BEROLINI,

Imprimebat GOTTHARD SCHLECHTIGER, Reg. ejusdemque  
Societ. Scient. Typogr.

V I R O  
S U M M E R E V E R E N D O , G R A -  
V I S S I M O , A M P L I S S I M O N E C  
N O N D O C T I S S I M O  
D O M I N O

D N . D A V I D I  
R U P E R T O E R Y -  
T H R O P I L O ,

S . S . T h e o l . L i c e n t . c e l e b e r r i m o ,  
S . R e g . M a j . B r i t . a C o n s i l i i s s a c r i s , n e c n o n  
c o n c i o n i b u s a u l i c i s & S u p e r i n t e n d e n t i *Νεοπόλεως*  
H a n n o v e r a n æ i n s p e c t i o n i s l o n g e m e r i t i s s i m o ,


P A T R O N O S U O Æ T E R N U M  
V E N E R A N D O ,

H o c , q u i c q u i d e s t ,  
c u m v o t o

D i v i n æ b e n e d i c t i o n i s , c o n s t a n t i s s i m æ s a n i t a t i s , o m n i -  
g e n æ p r o s p e r i t a t i s , s o l e n n i v e t e r u m f o r m u l a  
u t j u r e d e b u i t ,

S i c l u b e n s v o l u i t d i c a r e

J o h . G e o r g . B r a n d e s .



PARTIS GENERALIS  
LOGICES

LIB. I.

SECTIO SECUNDA

DE

PRÆDICAMENTIS

CAP. I.

DE PRÆDIC. IN GENERE.

- I. PRÆDICAMENTA sunt classes rerum, per genera, species & differentias dispositarum, ut ex illis materia prædicationis primo desumatur. \* RESPOND.  
Johann  
Georg.  
Brandes.
- II. Res ad prædicandum aptæ, sunt vel supra, vel infra, vel intra prædicamentorum classes. Non enim censendum est, quasi omnia, quæ logice prædicari possunt, angustiis prædicamentorum includantur. Ergo inveniuntur OPP.  
Johann  
Heinrich  
Holtzmā.  
Christ.  
Eberh.  
Görss.
- (I.) quædam res, quæ transcendent omnia prædicamenta,

A 2

\* Uti Prædicabilium auctor est Porphyrius, natione Phœnix, Patria Tyrus, Christianæ Religionis oppugnator, qui vixit & floruit Aureliano & Diocletiano, deinde Constantino Imperatoribus. Ita prædicamentorum auctor est Archytas Tarentinus, insignis Mathematicus, qui lineam columbam volatilem fecit, teste Gellio L. X. c. 13.



menta, ut sunt Deus, idiomata, decreta & operationes  
 ejus, Termini mystici & Theologici. Termini metaphysici  
 communissimi. (2.) Quædam res dantur, quæ sunt  
 infra prædicamenta, ut sunt negationes, privationes,  
 notiones secundæ in disciplinis instrumentalibus &c. Et  
 (3.) Quædam res sunt in prædicamentis, & quidem  
 (α) directe, ut sunt genera, species, individua, (β) indi-  
 recte sc. collateraliter, ut differentia. Et (γ) reductive,  
 sic entia incompleta s. partes reducuntur ad suum totum,  
 privationes ad habitum, concreta ad sua abstracta, entia ar-  
 tefacta ad naturalia &c.

III. Prædicamenta decem sunt: Substantia, Quanti-  
 tas, Qualitas, Relatio, Actio, Passio, Quando, Ubi,  
 Situs & Habitus. \*

## CANONES.

I. Quicquid est, vel substantia est vel Accidens est.  
 Tertium non datur, nam termini sibi opponuntur contra-  
 dictorie, & inter contradictoria non datur medium. Recte  
 ergo Aristoteles omnia in hæc duo divisit juxta hunc versum:

Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,

In duo divisit, quicquid in orbe fuit.

Nempe in Substantias & Accidentia.

II. Nihil est in creaturis quod non possit ad aliquod  
 Prædicamentum referri. Erit enim vel Substantia aut  
 Accidens. \*\*

III. Quæ

\* In hoc disticho omnia prædicamenta habentur:

8 2 5 3 7 4 1 9 6 10

In campo magno pugnabat fortiter olim Filius Arnulphi stans & calefactus in armis.

\*\* Distingunt alii hic inter prædicamentum Substantiæ & substantiam ipsam. Illud  
 est classis generum & Specierum sub uno summo genere, nempe Substantia. Ergo  
 hocce disponit res Secundum sub & supra & summo generi Subalternas Species  
 subordinat; hæc autem nude & absolute summu genus notat, quod primo loco  
 ponitur in scala prædicam.

III. Quæ sunt supra prædicamenta, non debent judi-  
cari ex Prædicamentis. Sic Deus quidem est Pater, sed  
quia Prædicamentorum ordinem superat, de ejus Paterni-  
tate non debemus ex prædicamentis judicare.\*

## CAP. II.

# DE SUBSTANTIA.

I. SUBSTANTIA est ens finitum, completum & per  
se subsistens, e. g. Homo, avis, piscis. \*\*

II. Substantia est vel prima, vel secunda. Ad primam  
\* referuntur individua substantialia, e.g. David, Salo-  
mo. Ad secundam deducuntur genera & species,  
e. g. flos, tulipa, herba, ruta.

III. Substantia vel est incorporea, quæ expers  
est omni materiæ, ut spiritus, & is vel est deter-  
minatus ad materiam, ut anima separata, vel non est  
determinatus ad materiam, ut Angelus: vel corpo-  
rea, quæ constat ex materia, ut corpus. Quod  
iterum est vel simplex, ad quod referuntur aquæ supra  
cœlestes & quatuor elementa, vel mixtum, & hoc est vel  
animatum vel inanimatum. Animatum est vel ve-  
getans vel sentiens, & sentiens est vel rationale vel  
irrationale.

A 3

CA-

\* Agitur hic de substantia logica non Metaphysica. Sic Deus & anima sunt sub-  
stantiæ Metaphysicæ, sed non logicæ, quia Deus est substantia infinita: anima  
vero incompleta, quæ a logica exulant.

\*\* Recte diximus ad primam substantiam referuntur individuum substantiale, ad dif-  
ferentiam individui accidentalis, ut est hæc nigredo, rubedo &c. Quod non  
referendum ad substantiam primam.

- I.** Substantia non inest in subjecto ut accidens. Ergo τὸ inesse hic non sumitur late, quod non repugnat substantiis, sic pars est in toto, locatum in loco, contentum in continenti: sed stricte, quatenus τὸ per se subsistere opponitur.
- II.** Substantia non recipit magis & minus. sc. adverbialiter, bene autem nominaliter, h. e. Vir non magis est substantia quam puer, bene autem major est substantia. Nam Vir prout est substantia & puer prout est substantia eandem habent definitionem.
- III.** Substantiæ nihil est contrarium, sc. per se, absolute & respectu sui consideratæ: alias per accidens & respectu qualitatum sibi invicem, substantiæ contrariantur, qualitativus enim proprie inest contrarietas. Ergo lupus ovi, felis muri &c. non contrariatur prout sunt substantiæ, sed prout contrarias qualitates habent.

CAP. III.

DE ACCIDENTE.

- I.** ACCIDENS est ens, quod subjecto inhaeret, idq; extra essentialiter afficit, e.g. Sapientia est accidens, est enim in Salomone vel in Josepho, & extra subjectum esse non potest, & tamen non pertinet ad essentiam Subjecti. Male ergo faciunt Pontificii, dicentes colorem, odorem & saporem tanquam accidentia panis in sacra Coena adesse posse, licet panis mutatus sit in corpus Christi.
- II.** Accidentia dantur novem: **Quantitas, Qualitas, Relatio &c.** \* CA-

\* Accidens vel est entitativum vel modificativum: Illud vel est primum, vel secundarium: Primum vicissim vel est absolutum, ut Quantitas, Qualitas, vel respectivum, ut Relatio. Secundarium est Actio & Passio. Hoc est Quando, Ubi, Situs & Habitus.

# CANONES.

- I. Unum numero accidens non potest esse in duobus subjectis. e. g. Illa ipsa Justitia quæ est in Aristide, non simul est in Attico, vel alio.\*
- II. Accidens est natura & cognitione posterius substantia. Nam modus cognoscendi, sequitur modum essendi. Natura præcedit substantia accidens.

## CAP. IV.

### DE QUANTITATE.

- I. QUANTITAS est accidens, quo substantia extenditur. \*\*
- II. Quantitas, est vel virtutis vel molis. Prior est quæ dicit aliquid esse majoris vel minoris efficaciam & perfectionis. Sic multorum eruditio, fortitudo, fides &c. magna dicitur, quia perfectior est aliorum. Ea autem æquivoce & metaphorice tantum quantitas est, quæ etiam Deo & Angelis convenire in sano sensu potest. Posterior in n. I. est descripta.
- III. Quantitas est præterea vel continua, cujus partes communi termino copulantur; Qualis datur in magno lapide, arbore, homine &c. vel discreta, cujus partes ab invicem discretæ sunt; Quæ habetur in magno acervo lapidum, frumenti, in strue lignorum &c.
- IV. Quantitatis continuæ species sunt tres (1.) Linea, qua in solam longitudinem extenditur subjectum. (2.) Superfi-

\* Dist. inter Subjecta divisa & conjuncta s. subordinata. Inter inesse simultaneum & successivum. Inter accidens simplex & aggregatum. Hinc fides potest esse in anima, in intellectu & voluntate, constat enim fides ex notitia, assensu & fiducia. E. est aggregatum accidens, & hoc potest esse in subordinatis subjectis.

\*\* Nonnulli in definitione quantitatis adhuc addunt: habere partes extra partes, hoc est, ubi una pars non est altera pars: Et bene hoc dicitur de ejusmodi substantiis, quibus competit quantitas molis.

perficies, qua in longitudinem & latitudinem extenditur  
subjectum. Et (3.) Corpus, qua in longitudinem, latitu-  
dinem & profunditatem extenditur subjectum. \*

## CANONES.

- I. Quantitatis nulla est vis & efficacia. Agit canon de  
quantitate molis non virtutis. Ens aliquod non agit per  
quantitatem, sed qualitatem.
- II. Quantitas non recipit magis & minus. sc. adver-  
biallyter, bene autem nominaliter. Sic una linea altera lon-  
gior quidem esse potest & major, non tamen major vel lon-  
gior linea magis est linea quam minor l. brevior linea, nam  
utrique, prout lineæ sunt, una definitio competit.

### CAP. V.

## DE QUALITATE.

- I. QUALITAS est accidens, juxta quod substantia  
creata qualis dicitur.
- II. Species qualitatis sunt quatuor. (1.) Habitus & Di-  
spositio. (2.) Naturalis potentia & impotentia.  
(3.) Patibilis qualitas & passio. (4.) Forma & figura.
- III. Habitus est qualitas, potentiæ naturali superad-  
dita, firmiter in animo inhærens, & subjectum prom-  
tum reddens ad agendum.
- IV. Dispositio est qualitas, potentiæ naturali Superaddi-  
ta, leviter inhærens, hinc facile etiam mobilis, aptum  
tamen reddens subjectum aliquo modo ad agendum.

V. Po-

---

\* Aristoteles ad Species quantitatis continuæ adhuc refert Locum & tempus, & ad  
quantitatem discretam (1.) numerum, qui multitudo est ex multis unitatibus col-  
lecta, & est numerus vel numerans die Zahlen an ihm selber/vel numeratus, die Sa-  
chen/ denen die Zahlen beygelegt werden. (2.) Orationem, vid. Saur, & Scharf.

V. Potentia naturalis \* est qualitas substantiæ, qua illa admodum ad agendum vel patiendum apta est.

VI. Impotentia naturalis est debilis qualitas agendi vel patiendi naturæ insita.

VII. Patibilis qualitas \*\* est, quæ afficit sensum & appetitum sensitivum cum aliqua mora.

VIII. Passio est qualitas subito transiens. \*\*\*

IX. Forma \*\*\*\* & figura est modificatio & dispositio externa corporis alicujus.

## CANONES.

I. Qualitatum proprie est contrarietas. h. e. Unum alteri contrariatur propter diversas qualitates.

II. Qualitates recipiunt magis & minus. Sic fides firmitior est apud unum, quam apud alterum. Impietas etiam plus crevit apud unum, quam apud alterum.

B

CAP.

\* Habitus est ratione originis (1.) Concreatus, qui in primæva creatione à Deo productus est tum Angelis, ut virtutes eorum, tum Adamo & Evæ, ut imago Dei s. justitia originalis, Sapientia & Sanctitas. (2.) Connatus, qui ex ipsa generatione connascentur, ut notitia Dei naturalis, lex naturæ. Huc etiam reducitur peccatum originale originatum, quod non est nuda privatio, sed privatio habitualis, conjuncta cum contraria forma. (3.) Infusus, qui vel extraordinarius est, ut donum linguarum in Apostolis; vel ordinarius, qui per ordinaria media conceditur, ut fides, Spes charitas. (4.) Acquisitus, qui ex principiis propriis, proprioque labore comparatur. Ad hunc requiritur natura, informatio & exercitatio. Alias etiam habitus distinguitur ratione Subjecti in intellectualem & moralem. Prior est qui intellectum perficit & in cognoscendo dirigit, Posterior est cujus ultimus finis est ex cognitione operari.

\*\* Potentia naturalis alia est activa & alia passiva, sic in sole est potentia lucendi, in pice & oleo est potentia ad concipiendam flammam. Utraque iterum distinguitur in materialem s. realem, quæ non egreditur e suo subjecto, ut potentia calefaciendi in igne; & in intentionalem s. Spiritualem, quæ a subjecto longe lateque Spargitur, ut lumen a sole.

\*\*\* Differt patibilis qualitas a passione ratione durationis. Prior diu permanet in subjecto, ut rubedo in eo, qui est sanguinæ complexionis. Posterior cito transit & leviter inhæret, ut rubor ex cursu, ex verecundia, ab igne, pallor ex terrore.

\*\*\*\* Boëth. formam attribuit rebus animatis, figuram pictis & inanimatis. Damasc. c. 51. Dial. figuram adsignat animatis simul & inanimatis, formam animatis tantum.

CAP. VI.  
DE RELATIONE.

- I. RELATIO \* est accidens, secundum quod unum refertur ad aliud. Sic propter paternitatem Pater refertur, vel respectum habet ad filium, & propter filiationem filius ad Patrem.
- II. Relata sunt, quorum unum respicit alterum, e. g. Sic Dominus servum, Magistratus subditum, Praceptor discipulum, Tutor pupillum, Maritus uxorem &c. respicit.
- III. Ad relata referuntur. (α) Duo termini, e. g. Dux & miles, emtor & venditor, Pater & filius. (β) Duo extrema, e. g. Abrahamus & Isaacus, Mephiboseth & Ziba. (γ) Fundamentum remotum, e. g. Aptitudo generandi in Abrahamo, & aptitudo genitum esse in Isaaco vel non repugnantia. (δ) Fundamentum proximum, alias ratio fundandi, quæ est potentia illius actuale exercitium, e. g. Actualis generatio, actualis venditio, exercitium actuale juris.

CANONES.

- I. Relata sunt simul natura. Regula hæc valet de relatis prædicamentalibus non transcendentalibus. Deinde valet de esse respectivo, non absoluto. Sic pater prior est natura filio suo quoad esse absolutum, quatenus est homo, non vero quoad illum respectum, quem hi termini inter se habent.
- II. Relatorum unum per alterum definitur, e. g. Pater est persona habens filium, & contra filius est persona habens Patrem. Magistratus est persona certo jure regens cives, & cives sunt personæ, quæ certo jure reguntur a Magistratu.

CAP.

\* Relatio est (1) vel naturalis vel ex instituto. Prior est quæ in ipsa natura fundatur, absque Singulari ordinatione intellectus alicujus, qualis reperitur inter patrem & filium, avum & nepotem, maritum & uxorem, socrum & nurum, fumum & ignem &c. Posterior est quando res respectum accipit ex instituto vel impositione intellectus s. in-

## DE ACTIONE ET PASSIONE.

I. ACTIO est accidens, secundum quod ens agere dicitur. Vel, actio est exercitium potentiae activae, aut superadditi habitus, e. g. Qui ambulat, exercet potentiam loco motivam. Qui pangit carmina elegancia, exercet Poeseos habitum.

II. Actio (1.) alia est realis, mediante qua ens aliquod reale producitur, uti per generationem homo producitur, alia est spiritualis (ab aliis etiam spiritualis dicitur,) qua agens sui speciem & imaginem tantum producit, e. g. quando sol aquam, & homo speculum aspicit. (2.) Realis actio est vel immanens, quae in subiecto agente manet, e. g. Intellectio, volitio, vel transiens, quae ad aliud subiectum transit, e. g. Scriptio, verberatio. (3.) Momentanea, quae in Momento peragitur, e. g. Creatio operum cujusvis diei, illuminatio, vel successiva, quae cum temporis aliquo tractu fit, e. g. Ascensio montis, oppugnatio urbis.

III. PASSIO est actionis receptio, e. g. Deus vocat, illuminat, regenerat, & homo patitur ut vocetur, illuminetur & regeneretur.

IV. Passio ( $\alpha$ ) alia est corruptiva, qua patitur subiectum destructionem vel corruptionem, e. g. Quando lignum patitur ab igne combustionem, & homo a pravo sodalitis seductionem, vel perfectiva, qua patitur subiectum ut per-

B 2

ficia-

in creati s. creati, qualis deprehenditur inter pastores & auditores, emtores & venditores, hederam suspensam & vinum venale. (2.) Vel mutua, vel non mutua, illa est, cum utrumque respectum realem habet ad alterum, ut Pater ad filium & contra, Dominus ad servum & contra. Haec est cum in altero extremo relatio realis deest: talis relatio est inter lapidem & agrum, inter statuum mercurialem & viam. (3.) Vel transcendentalis, personalis, infinita & mystica, quae habetur inter tres personas S. S. Trinitatis, quae modo prorsus singulari ad se invicem respectum habent, vel praedicamentalis, de qua hic agitur.



ficiatur, e.g. Quando discipuli patiuntur ut ab informatione Præceptoris perficiantur. (β) Passio est vel voluntaria, e.g. Amari, illudi, vel naturalis, comburi, prior subjacere imperio voluntatis debuit, posterior naturæ impetum sequi. Breviter, quot modis dividitur actio, tot modis & passio.

## CANONES.

- I. Actio ab ejus ἀταξία est distinguenda. Hinc actiones peccaminosæ prout sunt actiones adscribuntur etiam Deo, non autem prout sunt peccaminosæ, vitium actionibus ad-hærens adscribitur diabolo, mundo & peccato originis.
- II. Modus agendi sequitur modum essendi, h. e. Prout ens est in essentia, ita etiam agit, Ens ideo finitum, modo finito agit, & ens infinitum modo infinito.
- III. Receptivum recipit non per modum imprimen-tis, sed per modum receptivitatis. Hinc discipulus indole præstanti instructus & stupidior recipiunt informa-tionem Doctoris, non pro voluntate ipsius, sed pro capaci-tate a Deo sibi concessa.

### CAP. VIII.

## DE QUANDO, UBI SITU & HABITU.

- I. QUANDO est habitudo rei finitæ ad durationem \*defectibilem, e.g. Prout Henochus vixit in millenario primo, Abrahamus in millenario secundo, Moses in millena-rio tertio, prout homines vivunt in hoc vel illo seculo, anno, mense, hora &c. sunt in prædicamento Quando.
- II. UBI\*\* est habitudo rei finitæ ad suum πῆλ vel locum,

e.g.

\* Excluditur hic duratio infinita & indefectibilis a parte ante & a parte post, quæ alias dicitur æternitas, in qua solus Deus existit. Finita autem duratio proprie hu-jus est loci, sive sit defectibilis a parte post tantum, ut ævum, in quo Spiritus sunt, sive ab utraque parte ab ante & post, & principium finemque habet, ut tempus, in quo res materiales existunt.

\*\* Ubi hic pertinet definitivum, in quo sunt Spiritus, & circumscriptivum, in quo

cor-

e. g. Quatenus David regnavit in Hierosolyma, Alexander natus est in Pella, & Jul. Cæsar interfectus est in Roma, sunt in prædicamento Ubi.

III. SITUS\* est habitudo partium corporis ad suum ubi circumscriptivum, e. g. Prout Paulus stat, vel sedet, vel cubat, est in prædic. situs.

IV. HABITUS est habitudo corporis ad externum corporis adjacens, e. g. Quatenus Petrus est gladius, Johannes palliatus & Jacobus pileatus sunt in prædic. habitus.\*\*

## CANONES.

I. Quicquid in ubi est, non nuda operatione, sed essentia sua ibi est. Hinc fol proprie non est in terris, etsi virtute & operatione sua adsit.

II. Habitus mutatio, nullam rei mutationem infert, h. e. Licet habitus mutetur, essentia rei tamen non mutatur.

## SECTIO TERTIA.

### DE POSTPRÆDICAMENTIS.

I. POSTPRÆDICAMENTA sunt termini, qui post prædicamenta traduntur & explicantur.

B 3

II.

corpora deprehenduntur. Non autem huc pertinet ubi repletivum in quo Deus solum existit. Alias ubi est vel naturale, quod alicui rei a natura convenit, ut cœlum stellis, terra hominibus; vel non naturale, quod rursus distinguitur in fortuitum s. arbitrarium, ut esse in templo, Schola &c. vel violentum, ut quando lapis est in aëre. Porro Ubi est vel commune, e. g. Aqua est Ubi commune piscium, vel proprium, sic quilibet homo sibi vendicat locum proprium.

\* Situs recte ad partes corporis restringitur, & ideo Spiritibus proprie non competit situs. Alias situs est vel naturalis, sic in plantis radices infra & rami supra sunt, vel contra naturalis, e. g. quando caput pendet deorsum, pedes autem sursum; vel artificialis, quem res ab arte habent, ut situs domus, vel voluntarius, ut dilatatio & contractatio manus, vel fortuitus, vel rectus, vel obliquus.

\*\* Alias est habitus naturalis, e. g. Cum equus juba decoratur, arbor frondibus, flos foliis &c. Alius artificialis, qui est vel indumenti, e. g. Cum homo est pileatus, veste indutus, equus ferreis soleis munitus, &c. vel ornamenti, e. g. Cum paries, tapetibus est ornatus, homo auro argentoque circumdatus, &c. Alius denique est habitus supplicii, e. g. esse manicutum, catenatum, gestare compedes, &c.

II. Huc pertinent Opposita & Disparata.

III. Opposita sunt ejusmodi termini, qui non possunt esse in uno subjecto, vel dici de uno subjecto, secundum idem, ad idem, & eodem tempore, e.g. Siccitas & humiditas non dici potest de uno subjecto, neque gravitas & levitas. \*

IV. Opposita sunt quadruplicia, ( $\alpha$ ) Relative opposita, ( $\beta$ ) Contraria, ( $\gamma$ ) Privative opposita, & ( $\delta$ ) Contradictoria.

V. Relative Opposita sunt Relata, quorum unum non potest esse alterum, e.g. Pater opponitur Filio, & Dominus servo, hinc Pater non est Filius, nec Dominus est servus.

VI. Contraria \*\* sunt, quæ sub eodem genere maxime distant, & eidem subjecto vicissim inesse possunt a quo tamen se mutuo expellunt, nisi alterum insit a natura, e.g. Prodigalitas & avaritia, lætitia & mœror, ignorantia & eruditio, quæ sub certo genere sibi opponuntur, & dum unum adest in subjecto, alterum cedere tenetur.

VII. Privative opposita \*\*\* sunt habitus & privatio. Sic

\* Ad intelligentiam definitionis oppositorum hoc notandum, ( $\alpha$ ) Opposita non possunt esse in eodem subjecto secundum idem, hoc est secundum eandem naturam & subjecti partem, hinc non impossibile est, hominem esse mortalem & immortalem sc. secundum diversas ipsius partes: Et Christum esse Filium Davidis & Dominum Davidis, sc. Secundum diversas naturas. ( $\beta$ ) Ad idem h. e. eodem respectu, quare potest esse ut Christiani dicantur liberi & servi, sed non eodem respectu, liberi sunt respectu maledictionis legis, & servi respectu cultus divini, quem Deo omnino exhibere tenentur. ( $\gamma$ ) Eodem tempore, in eo & eodem momento temporis, alias successive ac diverso tempore eidem subjecto singulari duo opposita inesse possunt, e.g. Qui hodie impius est Saulus, cras pius Paulus esse potest.

\*\* Contraria (1.) non possunt esse in eodem subjecto sc. in gradu excellenti, bene tamen in gradu remisso. Sic summe rudis nequitiam est doctus, & fervida aqua nequitiam est frigida. (2.) Expellitur unum oppositum ab altero, nisi unum adsit à natura, hinc ex igne calor vel potentia calefaciendi non expellitur, neque albedo ex nive, sc. ab opposita qualitate.

\*\*\* Privatio (1.) est defectus formæ vel alicujus rei in subjecto capaci, quæ vel in

Sic auditus & surditas, capillitium & calvitium, rectus incessus & claudicatio sibi invicem opponuntur, unum dicit adessentiam alicujus rei, & alterum dicit illius rei privationem & absentiam.

VIII. **Contradictoria** \* sunt quæ inter se pugnant ut Ens & non-ens, qua unum dicitur esse & non esse.

Sic regenitum esse & non regenitum esse, virtute præditum esse & non virtute præditum esse, virginem esse & non virginem esse contradictorie sibi opponuntur.

IX. **Disparata** sunt res, quæ diversam quidem habent naturam, proprie tamen ac simpliciter non pugnant, e. g. temperantia & mansuetudo, vocalis Musica & instrumentalis, Deus & homo.

X. **Disparata** sunt vel pure disparata vel aliquo modo opposita. Priora sunt quæ plane sibi non opponuntur, hinc in eodem subjecto esse possunt etiam in gradu excellenti, e. g. nequitia & paupertas, formositas & facundia, fides & dilectio &c. Posteriora sunt quæ pluribus æque & eodem modo opponuntur, e. g. Color flavus eodem modo, quo viridi repugnat, repugnat etiam rubro, nigro, cæruleo, &c. Quæ pertinent plures diversæ species sub eodem genere. CA-

eo fuit, vel ei tamen de jure inesse debuit. Unde licet nemo ex posteris Adami ornatus fuerit imagine Dei, recte tamen omnes privati ea dicuntur. (2.) Est autem privatio alia partialis, tollens aliquid tantum de Ente, vel quoad actum, vel aliquem gradum, e. g. cum aliquis est luscus seu balbus, vel claudit oculos aut sibi obligari patitur. Alia totalis est, tollens aliquid simpliciter vel ex toto de subjecto, e. g. quando plane perit in senibus visus, vel aliquis cum profusus loqui nequit ob exsectam linguam.

\* **Contradictio** vel est explicita, vel implicita. Prior est cum expressis verbis idem dicitur esse, & non esse, e. g. quando dicitur Christus est verus Deus, & Christus non est verus Deus. Posterior est, cum subjecto tale quid additur, quod ejus naturam tollit & destruit, e. g. Fraus pia, Ecclesia Romano-Catholica, Electio universalis, sacrificium incruentum, &c.

Huc etiam referri solent Modi Priorum & Posteriorum, Modi habendi & inessendi. (1.) Est unum altero prius ( $\alpha$ ) duratione, sic Deus prior mundo est, arbor prior pomo. (2.) Naturâ, sic causa prior est effecto, genus prius est specie, & species prior individuo. (3.) Enumeratione & ordine, sic Pater in divinis prior est Filio.

# CANONES.

- I. Quot modis unum oppositorum sumitur, tot modis alterum plerumque etiam sumi solet, e.g. Sic Pater est triplex vel ratione creationis, vel ratione generationis, aut adoptionis. Et ita etiam triplex est filius.
- II. Oppositorum opposita est consequentia. Sic si bona opera sunt laudanda, necessario sequitur quod mala opera sint vituperanda.\*
- III. Contraria juxta se posita magis elucescunt, e.g. Qui nescit quid sit Pater, ( persona habens filium, ) cogitet tantum quid sit filius, ( persona habens Patrem. ) Hinc etiam Ethica agit de virtute & vitio, Medicina de sanitate & morbo, Politica de pace & bello.

Filio, (δ) Dignitate, loco, cognitione, &c. (II.) Habemus aliquid (a) ut qualitatem, e.g. Sic habemus scientiam, eruditionem. (b) Ut quantitatem, e.g. Sic habemus staturam nostram, longitudinem &c. (c) Ut ornamentum, e.g. Sic habemus gladium, anulum &c. (d) Ut partem corporis, e.g. Sic habemus manus, pedes, &c. (e) Ut possessionem, e.g. Sic habemus domum, agrum, &c. (f) Ut in vase, ut circa corpus, &c. (III.) Inest aliquid (1.) ut pars in toto, (2.) ut totum in suis partibus, (3.) ut Species in genere & genus in speciebus &c. Vid. Scharf, Log. & Saur Log. ad h. l.

\* Valet canon (r.) de jure, etsi non semper de facto: Sic docti & candidi sunt honorandi (ad minimum de jure, licet non semper hoc fiat de facto,) E. indocti & hypocritæ sunt contemnendi. (2.) Quando opposita sunt paria. Unde non sequitur: Mala opera damnant, E. bona opera salvant; quia sunt imparia. Mala opera enim sunt perfecte mala; Bona autem nostra Opera sunt imperfecte bona, E. Salvare nos non possunt.

Huc etiam pertinet canon: Privationis nulla est vis & efficacia. Ubi tamen distinguimus inter privationem simplicem, quæ nudam infert absentiam rei inesse debitæ, & habitalem s. compositam, quæ simul habitum corruptum & prævum introducit, conjunctaque est cum contraria positiva forma. Canon valet de priori. Hinc peccatum Orig. etiam omnino habet suam efficaciam, utpote quod non solum privativum, sed positivum quid etiam dicit.








Verfertigt  
von  
L. A. GARBÉ  
Rostock  
Breite Str. 25.







...i, nemo enim nostratium negavit sæpe Scri-  
obscuram, modo non iniis, quæ necessaria  
em.

principii est, cum idem per idem, incer-  
que incertum probatur. e. g. Terra mo-  
circumagitur. Pythagorica vera sunt, quia *av-*  
pa infallibilis est, quia non errat.

consequentis est, quando ex antece-  
se infertur consequens. e. g. Fides justi-  
sunt facienda B. O. Fur noctu oberrat, nec  
E. qui noctu oberrat, fur vel adulter est.

\* secundum non causam ut causam est,  
sa apparens & per accidens confun-  
vera causa. e. g. Petrus insomnes ducit no-  
nimis nummatus. Deus permittit ut homo  
eius est peccati causa.

olurium interrogationum \* est, cum  
rsæ quæstiones in una complicantur, ad  
potest categorice responderi. e. g. Estne  
aria adoranda? Hæc quæstio neque simpli-  
da neque neganda est, sed primo separan-  
ctum, & deinde ad prius pertinet affirmatio,  
is negatio.

CANO-

exemplum: Deus prævidit Adamum lapsurum. E. necessario  
en Dei prævisio non est causâ lapsus, sed abusus liberi arbi-  
Diaboli.

tionibus miscetur, (1) quoties subjecta plura non subordinata  
unum prædicatum enunciatur. e. g. Estne corpus & anima  
(2) Cum de eodem subjecto diversa prædicata dicuntur, e. g.  
Deus, & iuste a Pilato crucifixus?